

2550.

1418 d. 7 Dec.

Mantua.

Påfven Martinus V stadfäster den af biskop Thord i Strengnäs m. fl. utfärdade och af konung Albrekt och påfven Bonifacius gillade förordning om fattigtiondens inom Strengnäs stift anslående till underhåll af vissa prester och kaniker. (Jfr Sv. Riksark. perg. bref. I, N. 1695.)

Orig. på perg. i Strengnäs Gymnasiibibl.

Martinus episcopus, seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Iis, que pro christifidelium animarum salute nec non ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum commodo et utilitate piorumque usuum fomento prouide facta et ordinata comperimus, ut illibata persistent, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adjicimus firmitatem; exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum prelatorum et canonicorum ecclesie Strengenensis petitio continebat, quod cum olim nonnulli agricole, coloni et rustici Strengenensis diocesis, tunc inualescentem inibi sectantes abusum, quandam de fructibus, in eadem diocesi excrescentibus, prouenientium decimarum pauperum tunc communiter appellatarum partem sibi de facto appropriassent sine usurpassent, bone memorie Tordo, episcopus Strengenensis, nonnullorum nobilium et magnatum necnon agricolarum et habitatorum partium illarum in hoc concurrentibus deliberamine, consilio et assensu huiusmodi obuiare uolens abusu, partem decimarum huiusmodi extunc per prelatos et canonicos ecclesie predictae, apud illam pro tempore residentes, perpetuo percipi, teneri ac etiam possideri debere statuit pariter et ordinauit, hoc inter alia adiecto, quod illi propterea anniuersaria et alia obsequia, per episcopum predictum ac certos alios tunc deputatos moderanda, annis singulis peragere et obseruare necnon peragi et obseruari facere tenerentur, super hiis clare memorie Alberti, regis Suetie, donatione ac eiusdem primo et deinde quondam Bonifatii in sua obedientia, de qua partes ille tunc erant, viiiij nuncupati, confirmationibus subsecutis, et que quidem statutum et ordinationem imitando etiam carissimus in Christo filius noster Ericus, Suetie, Datie et Norwegie rex illustris, in prelatorum et canonicorum ac ecclesie predictorum presidium quo ad decimas ex fructibus infra territorium Sudhermannie, dicte diocesis, sue ditioni subiectum, prouenientes, sub certis modo et forma perpetuis futuris uoluit et mandauit temporibus inuiolabiliter obseruari, prout in Bonifatii predicti necnon aliis ipsorum regum, nobilium et magnatum sigillis munitis inde confectis litteris dicitur plenius contineri; cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, deputatis ipsis, antequam deputationis eiusdem explerent effectum, ab hac luce subtractis, prelati et canonici predicti, super dispensandis pro anniuersariis et obsequiis eisdem aliasque ad congruentes causas et usus huiusmodi decimis uiam tradentes et ordinem in uim statuti et ordinationis ac aliorum premissorum, decimas pacifice percipiant antedictas, pro parte dictorum prelatorum et canonicorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut statuto, ordinationi, confirmationibus, uoluntati, mandato et traditioni predictis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adicere de benignitate apostolica dignaremur; nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati statutum, ordinationem, donationem, confirmationes, uoluntatem, mandatum et traditionem predicta ac quecunque inde secuta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica

confirmamus et presentis scripti patrocínio communimus, suppletentes omnes defectus, siqui forsán interuenerint in eisdem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis, communitiónis et suppletionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Mantue, vij idus Decembris, pontificatus nostri anno secundo.

Registrata gratis. Bartholomeus. V. På frånsidan: Confirmacio Martini pape super decimis canonicalibus.

Blybullan vidhänger.

2551.

1418 d. 9 Dec. Vadstena kloster.

Abbedissan Gerdeka, confessor generalis Erik och konventen i Vadstena utfärda rekommendationsbref (pass) för munkarne Johannes Haquini och Johannes Hildebrandi, som skola begifva sig till Rom.

Afskr. i Codex 6 (Benz.) i Upsala Univ:s bibl. fol. 102 v.

Vniuersis christifidelibus, ad quos presentes litere peruenerint, soror Gerdheka abbatissa et frater Ericus, confessor generalis, ac vterque conuentus monasteriorum Marie virginis et Birgitte in Watzsteno, Lyncopensis diocesis, in regno Swecie, salutem in omnium Salvatore. Vt a discretis itinerantibus sinistre suspicionis tollatur occasio, necesse est eos vite et conuersacionis testimonio premuniri, exhibitores igitur presencium J[ohannem Haquini] et J[ohannem Hildebrandi] presbiteros, confratres et filios nostros karissimos, viros religiosos et deuotos, ad omnes sacros ordines tam inferiores quam maiores rite et canonicè promotos, non suspectos, non excommvnicatos, non interdictos nec in aliqua irregularitatis nota, quantum humano constare poterit iudicio, respersos, ad Romanam curiam, fauente Domino, transituros, caritati vestre sinceriter in Domino recommendantes, vos et quemlibet vestrum humiliter et affectuose rogamus pro eisdem, quatenus ipsos in huiusmodi itinere suo eundo uel redeundo casu vel proposito diuertentes amore Dei et nostre petitionis intuitu benigne velitis colligere et humaniter pertractare, non sinentes eos in personis seu rebus a quoquam indebite molestari, mercedem ab eo recepturi, qui caritatem precipit et premia obseruantes, et nos eciam pro modulo nostro erga illorum promotores condigna vicissitudine promereri volumus requisiti. Datum monasteriis nostris, anno Domini millesimo quadringentesimo decimo octauo, ix die mensis Decembris, sub sigillo nostro appposito presentibus impendenti.